Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 887

Quelle:
Copyright:

rum poſtremum ſic rubro inſcriptum: *Incipiunt acta ſanctiſſimi Nykolai archiepiſcopi liceę mirenſis metropoleos menſe decembrio die VI.* maxime prolixum eſt, verſusque finem haec habet: *Huc usque de grecorum editione trahentes doctorum ad latinitatis tranſtulimus gratiam* &c. Pars altera hoc titulo gaudet: *Incipiunt poſt obitum miracula Sancti Nykolai.* Incipit: *Igitur poſtquam beatiſſimus Nykolaus ex hoc mundo migravit* &c. Finit: *apud ipſum mundi conditorem interceſſorem habeamus per eum qui uiuit* &c. Utraque haec *Pars*, ut re conveniat, abludit tamen et ordine et phraſi a tribus *Nicolai* vitis, quas *Aloyſ. Lipomanus* in *Vit. SS. PP.* P. II. p. 252. exhibet, nec novi, an inter *Acta Nicolai* a *Nic. Carminio Falconio Neap.* 1751. f. publicata, quae ad manum non ſunt, extet, aut, an inter Continuatorum *Bollandi* Collectanea ſit, olim ad diem *VIII. Id. Decembr.* proferenda. Tertia *Pars* agit de Translatione Corporis D. *Nicolai Barium* in *Apuliam* minio ſic inſcripta: *Prologus De translatione Sancti Nykolai epiſcopi. Que eſt ſeptimo idus maii. Glorioſa Sanctorum Merita dum pio ac frequenti ſtudio* &c. Narrationis initium: *Eſt ergo Uaris* (Barium) *Ciuitas Apulie que dicitur una eſſe ex decem et octo Provinciis Italie* &c. Extat ejusmodi Narratio, ſed dictione diverſa T. VII. *Laur. Surii de probat. SS. Vitis* p. 397. ſcripta a *Johanne* Archid. *Barenſi* circa an. 1088. invenio tamen in *not. ad Martyrol. Rom. Baronii* die 9. *Maji* p. 187. latitare et aliam in Mſs. autore *Nicephoro Barenſi*, quae, num noſtra ſit, dicere non habeo. Hagiographi *Belgae* de hac Translatione agere ad diem ſupradictam *Decembris* diſtulere.

IV. *fol.* 51. *Incipit prologus in uitam Gotehardi epiſcopi et confeſſoris. Summę Reverentię decore venerando Domno meo et magiſtro Albuuino. toto ſemper deuotionis ſtudio colendo. Wolfherius ſpiritu et corpore modicus* &c. Legitur haec *Godehardi* primum *Altahae inferioris* in *Bojoaria* (non *Tegernſeenſis*, ut *Fabric.*) Abbatis, tum Epiſcopi *Hildeſienſis* ✠ 1038. Vita autore non *Arnoldo*, ſed *Wolfherio* Monacho *Altahenſi* in *Cph. Broweri Sideribus Germ.* apud *Surium* ad diem IV. *Maji*, ad eandem in *Actis SS.* T. I. p. 502. apud *Mabillonium Sec. VI. Bened.* P. I. p. 395. et in *Leibnitii Scriptt. Brunſv.* T. I. p. 482. Deeſt tamen in *Cod.* noſtro ultima Appendix.

V. *fol.* 72. *Vita S. Willibaldi epiſcopi.* Initium: *Originem Egregii confeſſoris chriſti atque pontificis* &c. Finis: *et precipue tuis tibi a chriſto collatis, Per eum qui cum patre* &c. Vita haec *Willibaldi* Angli, primi Sec. VIII. *Eichſtettenſium* Epiſcopi extat in *Henr. Caniſii Lect. antiq.* edit. *Baſnag. Amſt.* 1725. T. III. P. 1. p. 13. *Reginoldum* Ep.

Eich-